



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118480**

§. 7. Pontificis copiæ pactis induciis dimissæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

Sæcul. XVI. A.C. 1527. vocabit. VI. Denique Lanoyus Romanæ urbi appropinquabit, ac Borbonio Duci iter versus Etruriam occludet.

## §. VII.

*Pontificis copiarum pactis induciis dimissæ.*

*Guicci. ibid.* **P**romulgatis hisce induciis Papa copiis suis missionem fecit, ac nonnisi duodecim milia præter centum equites retinuit, classem quoque suam revocavit, atque triremes armorum apparatus spoliari iussit. Idem etiam fecerunt Veneti. Interea vero Valdemontius Comes Lotharingæ Ducis frater ex Andegavensi familia ortus cum Papæ ac Venetorum triremibus jamjam Salernum, ac Surrentum occupaverat, quas tamen urbes rursus relinquere jubebatur, quæ res Valdemontio permoleste accidit, eo potissimum nomine, quod a Neapolitanis magni habitus, facile Andegavensis factionis reliquias ope & consilio redintegrare potuisset. Ceterum improvido prorsus consilio Papa ab armis discesserat, cum nondum explorata haberet Borbonii consilia, qui jam versus Bononiam progressus, tam validum ducebat exercitum, ut præter quingentos cataphractos, duo circiter equi-

equitum millia, & ultra mille Germanos, ac quinque Hispanorum millia recensere; quibus insuper accesserant duo millia peditum Italorum, ac numerosus ejusdem gentis Equitatus levioris armaturæ: Hoc anno Mense Februario hic exercitus Placentia castra movit, ast pecunia, com meatu, curribus, imo & tormentis destitutus, non nisi tributis, quæ Borbonius in itinere urbibus imponebat, alebatur. Unde milites stipendiorum penuria pressi seditionem concitarunt, ac ipsas etiam sarcinas deprædati sunt, quinimo mortem quoque Borbonio minitabantur, nisi eis pro ære militari opimam quamdam urbem deprædandi libertatem ultro daret, qua concessa quidem militum sedata est seditio, ipse tamen Dux Bononiam ingredi prohibebatur, eo quod Salutiarum Marchio urbi duodecim armatorum millia imposuisset. Nec benigniore utebatur fortuna, ubi Florentiam aggredi tentabat.

## §. VIII.

*Borbonii Dux induciis oblectatus.*

Cum Borbonius Florentiæ appropinquaret, inducias fuisse pactas comperit, hoc tamen nuntio minime teritus illis accedere constanter renuit, eo quod

Sæcul. XVI.

A.C. 1527.